



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 1. Utrum Consecratio, & Dedicatio juxta Rubricas sint idem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

551

AD 1. quæsitum R. Consecrationem & Dedicationem juxta Rubricas idem esse. Ita Gavantus in *Theaur. Sacror. Rit. tom. 2. Sect. 8. cap. 5. n. 2. edition. recentioris.* Ubi ita loquitur: *Dedicatio Ecclesiæ est ipsamet Consecratio facta ab Episcopo, ut in Pontificali: quæ ita recolitur quotannis, ut Natalis dicatur dies d. dicati templi - ex S. Leone Serm. de Machab.*

Aliud tamen est. *Dies Dedicatio- nis, & aliud Dies anniversarius Dedicatio- nis: Unde diversa tam in Missali, quam in Breviario assignatur pro illis Oratio.*

Porro ritum consecrandi, & dedicandi Templum ex veteri testamento sumpsit Ecclesiæ, ubi Moyses tabernaculum, & Salomon Templum Deo dicantes, precibus, & unctione Sacrârunt. Cæremonias in Consecratione observandas instituit S. Sylvester Papa, postquam Constantinus Imperator per Baptismum salutem, & sanitatem est consecutus, & lege à se latâ concessit Christianis per totum orbem, ut Ecclesias ædificare possent. Quod autem tam Episcopus consecrans, quam Patroni Ecclesiæ consecrandæ sint jejuni tempore Consecrationis, & pridie quoque ejus diei jejunent, Statuit Leo Papa in *Epist. ad Diodor.*

552 Ad 2. Q. An scilicet in proposito casu Religiosi illi pridie

Consecrationis possint dicere Vesperas, & Completorium, postridie verò Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicatione?

R. affirmativè, loquendo de Casu, quo *Consecratio, seu Dedicatio* templi non fit in aliquo Festo, aut Dominica contra quodcunque aliud Officium privilegiatâ, v. g. Dominica in Albis, aut Feria II. vel III. Pentecostes, sed Dominica, vel Festo aliquo minore, uti hæc facta est Dominica secunda post Pascha.

Tametsi enim pro hac Resolutione non inveniam Authorem, aut Rubricistam, qui Casum hunc, ut ut frequentem vel obiter attingat, colligi tamen illa potest ex Rubrica, quæ extat tam in Breviario Romano in *Communi Dedicatio- nis Ecclesiæ* (ubi de primis Vesperis, & Laudibus) quam etiam in Missali Romano, post Missam de *anniversario Dedicatio- nis*, §. 2. In quarum prima, cum tam in 1. Vesperis (NB.) quam in Laudibus *pro ipso Die Dedicatio- nis Ecclesiæ*, & per hujus Octavam expressè præscribatur Oratio, in Officio recitanda, diversa ab ea, quæ in Officio dicenda est in Die Anniversario Dedicatio- nis, ac per istius Octavam; & in secunda *pro ipso Die Dedicatio- nis* non minus præscribatur Missa in eodem dicenda, quam *pro Die anniversario Dedicatio- nis*.